

00
A
341



P. e. 99



el

Συμθεω

DISPUTATIO X.

De

BONIS OPERIBUS.

PRO

AUGUSTANÆ CONFSSIONIS
ARTICULO XX.

Adversus Pontificios, & hodiernos Photinianos.

Qua

In Collegio disputationum Theolo-
gicarum SECUNDO,Ad diem 7. Julij. A. C. 1610. V Vitteber-
ga in templo Arcis habebitur,

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO,

Theol. D. & Profess. Publ.

RESPONDENTE

LAURENTIO Bensen Strandinsu-
lano Holsato.

os(O)so

VVITTEBERGAE.

E Typographeo JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. X.



VIRIS,

*Reverendis & Clarissimis, Eruditione, Vir-
tutumq; ornamentis politissimis,*

Dn. JOHANNI ERHARDO, Illu-
striss. Principis Saxoniae inferioris Do-
mini, Domini FRANCISCI, Superin-
tendenti ac Pastori longè dignissimo.

Dn. M. JOHANNI EMBSIO, Ecclesiae
Marianae apud Lubecenses Diacono fi-
delissimo.

Dn. M. LAMBERTO LANGEMACIO
Ecclesiae Jacobae apud Hamburgenses
Diacono vigilantissimo.

NEC NON

Prestantissimis atq; Excellentissimis Viris

Dn. LAURENTIO Jestersen Civi Lubecensi
Primario.

Dn. MATTHIAE Hein Husano Holsaro.

Amicis ac Promotoribus suis unice honorandis,

Hanc Disputationem Theologicam in grati animi
testificationem offert & dicat

Laurentius Bensen Strandiensis Hols.

Συὸ Θεῶ
DISPUTATIO X.

De

BONIS OPERIBUS.

I. *Occasio inserti adhuc semel in Augustanam Confessionem
articuli de bonis Operibus.*

THESIS I.



ALUMNIIS à Pontificiorum grege in nō-
stros Doctores primos tempore repurgati E-
vangelij sparsis nondum fuit finis. Nam præ-
ter eam, quam ex articulis superioribus de-
promserant, etiam ex articulo de Bonis O-
peribus insignem occasionem nacti sibi visi
aliana, accusarunt Ecclesias nostras, quòd pro-
hiberent bona opera.

II. Hanc insignem calumniam, quomodo olim nostri refuta-
verint, & quomodo hodie ab alijs repetitam re ipsa refutent pij &
fideles verbi ministri, ex hujus articuli brevi enodatione pa-
refiet.

III. Nolumus autem integram doctrinam de Bonis Operibus
hoc in loco ruminare, cum de ijs disputatione 6. & 7. super artic.
6. plus satis sit tractatum.

2. *Quotuplicia opera sint constituenda secundum
Pontificios.*

IV. Ut igitur sine ambagibus ad rem ipsam nos accingamus
sciendum est, sub Papatu fuisse inculcata *duplicia opera, quaedam vi-*
delicet, quæ ab ipso Deo in verbo suo fuere mandata; quaedam ve-
rò, quæ sub titulo constitutionum Ecclesiæ catholicæ vendita-
bantur.

A 2

S. Prioris

V. Prioris generis sunt bona opera, quæ ex Decalogo & quæ secundum tenorem Decalogi docebantur, ut *uſuſ* & exercitia de agnitione & adoratione S S. Trinitatis, de Sabbatho colendo, de parentibus & superioribus honorandis, de humilitate, de patientia, de liberalitate, de veritate, & de istius rei similibus alijs.

VI. Posterioris generis fuere bona opera venditata illa, quæ, ut loquebantur, & loquuntur, Ecclesia, Ecclesia Catholica promulgavit, de statis Ecclesiæ precibus, non tantum in honorem Dei & Mediatoris; verum etiam directis ad demortuos sanctos, de jejunijs consuetis, in quibus à certis potissimum cibis abstinendum erat, de usu asperioris vestitus, præsertim intra monasteria, ubi cœlibatus servandus mandabatur, & adhuc mandatur, & quæ cum his cognationem & affinitatem colunt, propemodum innumerabilia.

VII. Cùm igitur accusati fuerint Doctores nostri, & accusentur adhuc hodie ministri verbi apud nostrates in genere, quòd prohibeant bona opera, de utroque illo operum genere distinctè ut respondeamus necesse est.

3. *An Lutherani prohibeant ea bona opera, quæ sunt mandata Verbo DEI.*

VIII. Ad primum genus operum quod attinet, respondemus cum ipsa Augustana nostra Confessione, falsò olim accusari, & falsò quoque hodie accusari Ecclesias nostras, quasi prohibeant bona opera.

IX. Utentur sine dubio hodie pro veteris suæ diffamationis pallianda protervia probationum argumentis potissimum tribus.

V. Et allegabunt PRIMÒ inuectivas quasdam Theologorum non Pontificiorum; sed Evangelicorum adversus Decalogum, quales fuerunt olim istæ: Lex non est digna, ut vocetur Verbum Dei: Decalogus pertinet ad Curiam, non ad Suggestum Ecclesiasticum: Omnes qui Mosen docent, ad Diabolos relegentur, & ad patibulum &c.

1. *Obiectio Pontific.*

Resp. ad 1.

XI. Sed de hoc primo REGERIMUS, & iniriò non negamus, fuisse tales flosculos ab hominibus quibusdam non Pontificijs; sed

sed in aliis Luthero consentire tantum visis, olim plantatos, à quibusdam, inquit, non ab omnibus, non ab ipsis genuinis Lutheranis, talia fuisse profeminata, unde pessimè fecerunt Pontificij & adhuc faciunt, quòd unius & quidem unius è nobis egressi, qui tamen non erat è nobis placita ausi fuerunt, & adhuc audent venditare pro confessione generali omnium Ecclesiarum Lutheranarum.

XII. Postea notum est, Lutherum illas ipsas impias voces, seu, ut vocat, illi portenta maturè refutasse & condemnasse, sæpiusque stylum suum strinxisse adversus istas Diabolicas positiones, quemadmodum cernere licet ex 1. Tom. operum Latin. Witteb. & Jenensium, tibi subinde prostant disputationes adversus Antinomios illos ipsos in specie.

XIII. Turpe igitur est, omnibus imputare, quòd tantum est aliorum & quidem non propriè nostrorum: perinde sicut turpe est, in aliquo tantum exaggerare mala; nulla verò in eodem agnoscere & prædicare bona.

XIV. DEINDE allegabunt ex Tom. 2. Latin. Witteberg. fol. 2. *Objectio Pontific.* 78. & ex colloquijs mentalibus Lutheri, id quòd facit *Vlenbergius* *caussa quinta libri aliquoties citati in hisce disputationibus*, quòd mendax sit, quisquis dicit, quòd Evangelium requirat opera ad salutem.

XV. Item **OBIICIENT** nobis *Amsdorfum*, qui edidit tractatum, cujus titulus, quòd bona opera sint perniciosa ad salutem: **OBIICIENT** nobis Colloquium *Altenburgense*, habitum anno 1568, & 1569: in quo Saxonici Ducales Theologi itidem defenderunt illud, Evangelium non requirere bona opera ad salutem.

XVI. De hoc secundo **REGERIMUS**, jamdudum adhiberi solitum fuisse hoc evidentissimum à nostris iudicium, *Evangelio nihil magis curæ cordiq; esse, quam ut doceat, nos non ex operibus nostris, ante vel post justificationem factis; sed solo & unico, unico merito Iesu Christi fide apprehenso justificari, adeò, ut ad justificationem planè nihil, nihil conferant opera. Immo inde perniciosam esse profiteamur* *Respon. ad 2.*

A 3

opini-

opinionem, si quis partim merito Jesu Christi; partim verò operibus suis bonis justificationem acceptam referre vellet.

XVII. Postea verò justificato bonis operibus studendum esse, tam severè inculcamus, quàm quod severè injungere aliud omnium debemus & possumus.

XVIII. In quo sensu *Lutherus* (ut citatur in Colloquio *Altenburgensi* Latino folio 6. in forma quarta) semper in compendio rem illam omnem complectens, dicere consuevit: *Iustus facit bona opera; sed bona opera non faciunt justum.*

XIX. Quòd tamen Propositio ista: *Bona opera sunt pernitiōsa ad salutem*, non simpliciter & nudè possit asserti, jam dudum publica confessione docuerunt Ecclesiæ Lutheranae in Formula Concordiæ anno Christi 1580. publicata.

3 Obiect.
Pontific.

Respon. ad 3.

XX. TERTIÒ allegabunt & allegarunt in testimoniū vitam & mores Lutheranorum, hosq; re ipsa comprobare ajunt, quòd operum exercitia populo à Concionatoribus non satis inculcentur. Ubi equidem RESPONDEMUS, & initiò non negabimus, subinde extitisse, & extare aliquos, qui officio suo non satisfaciant hac in parte; sed vel ex adulatione, vel ex inscitia, vel ex ignavia, operum bonorum studium aut *adiaphorum* esse, existiment, aut *variis*, quàm par est, minusq; severè exigant. Hoc damnatissimum genus hominum esse pronunciamus.

XXI. Interim negare Adversarij jure non possunt, *alios* in nostris Ecclesijs, etiam opera bona severissimè exigere ab auditoribus: Cujus rei testimonia publica extant in eorundem scriptis, quæ hoc loco adducere nimis esset futurum superfluum.

XXII. Confirmatum ipsis hoc satis præbuerunt Ecclesiæ nostræ, tum in ipsa Augustana Confessione articul. VI. quum docere se profitentur, & omnes docere & credere jubent, quòd FIDES DEBEAT bonos fructus parere, & quòd OPORTEAT bona opera MANDATA à Deo facere.

XXIII. Repetitum hoc dederunt Ecclesiæ Lutheranae in Formula Concordiæ anno Christi 1580. publicata, ubi Vocabula NECESSARIUM, DEBERE, OPORTEERE urgentur, & concluditur, omnes homines, præcipuè verò eos, qui per Spiritum sanctum regenerati sunt, & renovati, ad bona opera, facienda DEBITORES esse.

24. E

XXIV. Et habet tum phrasis illa, tum confessio fundamentum suum in epistola ad Romanos cap. 6.º ubi *Apostolus* monet, ut exhibeamus membra nostra SERVIRE justitiæ, *δέλα τῆ δικαιοσύνη εἰς ἀγιασμόν*, v. 19: *Serva vel mancipia justitia*, de quibus servis dicitur Matth, 6, 24: quod nemo duobus Dominis servire possit, nisi velit insignem agere hypocritam: hoc est, quod mandata divinitus opera, pro adiaphoris & indifferentibus haberi non debeant.

XXV. Quin & in *Formula Concordia*, ut aures Pastoribus vellirentur vehementius, propter nostra hæc secula in specie adjicitur, quod *his postremis temporibus* non minus necessarium sit, ut homines ad piæ & rectè vivendi rationem bonaq; invitentur atque moneantur, quàm necessarium sit, ut ad declarandam fidem atque gratitudinem suam erga Deum, in bonis operibus sese exercent, quàm necessarium est, cavere, ne bona opera negotio justificationis admisceantur. Non minus enim (adjicitur ibidem) homines *Epicuræa persuasione de fide*, quàm de *Pharisaica fide in propria opera & merita*, damnationem incurrere possunt. Hæc omnia ex *Formula Concordiæ*, & ejusdem quidem compendio.

4. *Seria necessaria & gravis προσφώνησις ad quosdam partim imperitiores partim adulatorios partim ignaviores verbi ministros.*

XXVI. Hoc verò in loco compellendi nobis sunt quidam in Lutheranis Ecclesiis ministri, quorum nimirum causa & negligentia vel inscitia malè audire coguntur omnes reliqui ministri, quasi prohibeant, vel certè non satis urgeant bona opera.

XXVII. Et ut antea concessum fuit, ita nedum negari potest, horum hominum collegia non esse non nulla, qui tota ministerij sui sorte sese defunctos esse pulcerrimè existimant, si modò hominibus suis fidem salvificam, in meritum & sanguinem Domini nostri Jesu Christi solam & unicam secundum nudissimum externum sonitum literaliter sine addita explicatione genuinæ naturæ veræ fidei inculcaverint, etsi ab iisdem nequaquã fructus veræ fidei tanto conatu à Spiritu S. piis commendatos exigunt, eo tamen modo, quò & Spiritus sanctus exigere eos jussit.

28. Per

XXVIII. Per hanc suorum Præceptorum (*potius deceptorum*)
viam multi alioquin securi & Epicurei auditores labiali tantum
fide instruuntur, ut multi, qui nec orationis Dominicæ verba, nec
symboli Apostolici textum, nec alia fundamenta prima intelli-
gunt, tamen de fide (labiali scilicet) tam disertè disputent, ut nec
ipse, si adesset, redivivus Apostolus Paulus disserere posset.

*Viva pictura
plerorūq; Chri-
stianorum no-
mine sic dicto-
rum.*

*Simili modo
inter Pontifi-
cios pleriq;
pessimi sunt
homines in
vita, & tantū
jubentur spem
suam ponere
in Missa & in
similibus.*

XXIX. Hinc sunt inter auditores qui totum annum furtis vel
scortationibus, vel similibus peccatis contaminant, & in fine
anni unum sibi diem deligunt, pro participanda Cœna Domini;
cujus tamen unius diei, non omnes Christo horas largiuntur;
sed tantum illam, qua Sacerdoti peccata sua hypocriticè confiten-
tur, & qua sacra Cœnæ participes evadunt: & postero die à par-
ticipata Cœna redeunt ad priora peccata duplo plus continuanda:
idq; Continuo repetunt, quovis anno usq; ad finem vitæ suæ, ci-
tra omne à peccatis pristinis desistendi propositum verum.

XXX. Certissimam enim ex jam indigitatis hanc concionibus
concupere didicerunt opinionē, si post unū quemvis annum ejus-
modi peccatis indefinenter continuatum illā horā, quā confiten-
tur, & qua Cœnam accipiunt, in corde aut ore fidem suam levi-
ter profiteantur, literaliter dicendo (*Credo in Iesum Christum*) jam
omnem animæ ipsorum salutem in portu esse & in vado.

XXXI. Quin præterea hanc sibi ex iisdem concionibus finxerunt
persuasionē, si quis data opera contra Magistratum & ipsorum Sacerdo-
tum antecedentes aliquot prohibitiones speciales, vindictæ pri-
vatæ exercendæ causā, homicidium unum & alterum commit-
tat, si etiam in uno actu ipse vicissim transfoderetur & in mo-
mento exstingueretur, tamen si tantummodò labialem fidem in illo
conflictu perquam leviter cogitare incipiat, quod omnia,
omnia, plusquam, plusquam salva sese habere necessum habeant,
quæ ad salutem animarum ipsorum pertinent æternam.

XXXII. Vos omnes fideles, sinceri, pij, zeloq; Christi ardentes
ubivis locorum ministri Evangelici hæc rectissimè dici protesta-
bimini, sed quid dicemus tantum de hisce jam allegatis peccatis?

XXXIII. Ordine percurrendi nobis essent status vitæ singuli,
& excutiendi singulorum statuum mores, inferiorum erga supe-
riores, superiorum erga inferiores, parium erga pares, peregrino-
rum

rum erga peregrinos, civium erga cives, quam fermè omnia, omnia, omnia plenissima reperientur impietatis, injustitiæ, inhumanitatis, crudelitatis, contemptûs, fraudum, odiorum, mendaciorum, immisericordiarum, blasphemiarum, impudicitiarum, inobedienciæ, cædium occultarum & manifestarum; sed quis omnia enumerando assequi valeret plaustra criminum? Interim isti tamen omnes plenis, buccis labialem fidem, fidem, fidem, jactitant.

XXXIV. Certè (ne quid huic comædiæ deficiat) hanc rem penficulatus libranti, videtur penè à multis auditoribus Lutheranis tentari, quod adversus Johannem Tezelium olim fuisse à quibusdam tentatum, accepimus.

XXXV. Quum enim quidam ab eo mercarentur etiam futurorum peccatorum remissionem, eamq; impetrassent, dicuntur postea ij ipsi tam temerarium Institorem pecunia ex indulgentijs collecta spoliâsse, seq; indulgentijs pro futurorum peccatorum remissione, ab eo ipso comparatis, defensitasse.

XXXVI. Eodem nunc pacto multi auditores non parcunt etiam ipsis suis magistris, ex quibus frigidè doctibus nihil aliud nisi fidem labialem hauserunt.

XXXVII. Hæc, quæ breviter delineavimus, experientiam testem habent, & nimis, nimis, nimis plurimis exemplis in momenta singula roborari possunt; de quibus quamnam, quæsumus rationem Christo judici vivorum & mortuorum olim reddent ministri Verbi, & istarum animarum Pastores frigidi?

XXXVIII. Animarum enim Pastores mercenarij, hominum favorem mendicantes, **die nur guten Willen bey den Leuten wollen haben**: oculis suis prospicientes; vel ipsi non satis de regno Dei edocti, sunt maxima causa perditionis æternæ tot animarum; immò ijdem quoque sunt maxima causa publicarum in orbe grassantium, & crescentium calamitatum, famis, bellorum, pestium &c.

XXXIX. Nam & in altera isti confirmatos opinione, relin- *DEVS etiam*
quunt auditores suos, quasi post confessionem Deus castigatio. *conversos post*
nes corporales, omnes omittere cogatur, cum tamen *palpare lice-* *pœnitentiam*
at quovis momento, etiam post confessionem recitatam, etiam post *castigat, de*
B *impetra-*

qua re infra
in abusibus.

impetratam absolutionem, etiam post Cœnam participatam, etiam post seriam & verè Christianam actam, constanterq; continuatam pœnitentiam; tamen verè pios castigationibus quibusdam corporalibus à Deo suggillari, nō quasi eo modo possint satisfacere pro peccatis suis sed ut eò cautiore esse meminerint deinceps in peccatis vitandis.

XL. Annon enim vel infinitis incendijs annos benè multos vexata fuit, & in hunc usque diem graviter vexatur Germania, quibus implicati fuere omnium superiorum & inferiorum Ordinum homines? Horum ut & similibus publicarum & privatarū cladum origo est illa ipsa, de qua nunc agimus. Quam si nossent frigidorum pastorum auditores summi & infimi viri, utique cum mercenarijs istis Pastoribus gravissimè exostularent.

XLI. Si enim nos ipsos judicaremus, non iudicaremur à Domino I. Corint. II. iudicamus autem nos ipsos, quum quilibet discit debito modo coram Deo annunciare peccata sua, & cogitare pro peccato suo, sicut David inquit, Psal. 38. Ich forge für meine Sünde/ quo pacto vel remittit vel certè mitigat Deus corporales castigationes.

XLII. Tangimus autem huc usque tantummodò adultores, imperitos, inconstantes; non verò sinceros, zelo Spiritus Dei præditos, verè Lutheranos, verè orthodoxos, fideles servos Christi, quorum Conciones, & alia scripta de his ipsis rebus extant per totam Germaniam divini spiritus zelo plenissima.

Formula Concordia
duos hostes in loco
de justificatione
constituit.

Primi acerrimi
hostes in loco
de justificatione
constituit.

Primi acerrimi
hostes in loco
de justificatione
constituit.

XLIII. De reliquis verò nunc temporis nobis res est, quorum causam malam Formula Concordia optimè scivit, & propter illos ipsos gravissimam superiùs citatam admonitionem inserere coacta fuit, ut scirent hodiè cōtra duo hostium acerrimorum genera in articulo de bonis operibus pugnandum esse, videlicet: 1. adversùs Pontificios, 2. adversùs Epicuræos nostros, qui sunt iam meriti hostes in dijs cætibus nostris frequentissimi.

XLIV. Adversùs igitur hosce primos pro plenissimo & universaliter merito Domini nostri Jesu Christi utique pugnandum est, quòd justitiam valentem coram tribunali Christi, planè nullis, nullis, nullis, quantumvis omnium Angelorum & sanctorum hominum operibus in unam massam conglobatis consequi possit, vel unus, unus homo.

45. Cum

XLV. Cùm enim sine sanguinis effusione non fiat remissio. Heb. 9, 22. ideo Christus in plenitudine temporis apparuit & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem ac victimam Deo, in odorem bonae fragrantiae, Eph. 5, 1. Unde sanguis Iesu Christi, Filij Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1, 7. & ideo is Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, remissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis. Heb. 9, 15.

XLVI. Et quia Iesus Christus est heri & hodie & idem in secula, ideo, quotquot unquam salvati fuerunt, salvantur & salvabuntur, illos necesse fuit, est, & erit, tantummodo salvari in nomine, & propter meritum solum, solius Iesu Christi, ut ita iustitia coram Deo, aeterna salus & aeterna vita, sit purum, putum & merum donum gratiae Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum alibi latius comprobavimus.

XLVII. Immo, quod plus est, etiam si homines mansissent in statu innocentiae, nec unquam vel Adam, vel alius quis post Adamum fuisset lapsus; tamen nec in eodem innocentiae summæ nobilissimo statu vitam aeternam aliter quam ex dono consequuti fuissent homines; non verò ex operibus.

XLVIII. Cùm enim hanc corporalis vitae usuram unicè Dei gratiae & misericordiae opus & donum habituri fuissent omnes sanctissimi & innocentissimi homines, utique millies & infinites plus vitam aeternam in statu integritatis non nisi meram gratiam & plenum donum S. S. Trinitatis agnoscere potuissent.

XLIX. Iustitiam igitur coram Deo valentem & merito Domini nostri Iesu Christi innixam vera fide amplecti decet eum, qui vult ejusdem verè particeps fieri.

L. Fides autem primò omnium requirit accuratam noticiam fundamenti istius salutis. Quomodo enim crederent, de quo non audierunt, Rom. 10, 14. Quomodo, quæso, vera esse potest fides in eo, de quo constat, quòd nesciat duas esse naturas in Christo, cujus generis homines inter vulgatos, immò & alios multos esse, quotidiana experientia non testatur, sed clamat.

LI. Quare hoc fundamentum satis sæpe pueriliter & fideliter laicis præsertim est inculcandum & explicandum ante omnia, quam ad rem requiritur, secundum Apostolum in Ministro, ut sit διδασκάλος 1. Tim. 3, 2.

Etiam in statu innocentiae tamen aeterna vita gratis fuisset donata hominibus.

A minori ad majus.

Fides vera.

LII. Immò vicissim de eo audiendi sunt auditores, num illud benè & sufficienter assecuti fuerint, *quæ sit profunditas, latitudo & altitudo Christi, Eph. 3, 18.*

LIII. Deinde requiritur in fide vera fiducia erga voluntatem dilectionemq; Dei, & erga meritum Jesu Christi, ut homo se totum in illud, in vita & morte involvat, nihilq; ad salutem suam æternam impetrandam sibi necessarium existimet, *nisi crucem Domini nostri Jesu Christi, Galat. 6, 14.*

LIV. Huic fidei non admiscenda sunt *ulla opera*, quia *quæcunque admiscebuntur fidei pro impetranda justitia & salute æterna, illa propter opinionem meriti, erunt homini perniciosæ ad salutem.*

Quid firmet, custodiat, conservet salutem. LV. Nec etiam initium saltem Justificationis fidei in gratiam Dei & meritum Christi debet ascribi; sed ipsum, ut ita loquamur, intermedium, finis, seu, ut alij loquuntur, retentio, custodia, conservatio justificationis.

LVI. Huc enim Rom. 6, 14: *Idè ex fide, ut sit firma promissio. Coloss. 1, 23. Exhibebit vos irreprehensibiles coram se; si tamen permanetis in fide fundati & stabiles. 1. Pet. 1, 5. Virtute Dei custodimini per fidem in salutem.*

Secundi hostes in articulo justificationis accerrimè secundum Formulam Concordiæ sunt Epicurei nostri. LVII. Adversus secundos eosq; densissimos hostes, hoc est, Epicureos nostros pugnandum est, ita ut doceatur *renatos & justificatos teneri, debere, oportere, necesse esse bonis operibus studere*; non quòd illis aliquid possint mereri; sed quòd hæc sit voluntas Dei, sanctificationis vestra, *1. Thess. 1, 1. 2. 3. 4.*

LIX. Ergo toto cælo errant, qui per Christum legem moralem ita sublatam esse putant, ut nunc quoad præcepta neminem ad obedientiam obliget, & nunc sit merè adiaphora facta, perindeq; sit, si quis vivat, secundum præscriptum Decalogi, si non vivat secundum præscriptum Decalogi, qualis fuit bruta opinio Anabaptistarum, superius allegatorum, & quarum opinione, utinam hodiè non nimis multi seipsos infecissent.

LIX. Quapropter *pij & sinceri Ecclesiarum magistri* sedulò instituant plebem, nos liberos quidem esse ab æterna maledictione legis; interim tamen obligatos esse, ut vitam nostram informemus juxta Decalogum, idq; idè. *quia voluntas DEI hoc vult, ut in novitate vitæ ambulemus, Ro-*

man.

*man. 6, 4. 2. Quia Deus gravissimè punit varijs calamitatibus omnes transgressores legis moralis: Cujus rei testimonia præbent Scripturæ, exempla verò nostrorum hominum nimis frequentia quodixiana experientia. 3. Quia in ijs, qui petulanter perseverant in delictis contra conscientiam, non vult manere Spiritus Sanctus, sed ex ijs discedere, illosq; gubernandos committere Diabolis, unde difficilem & periculosum sortientur animæ ipsorum statum. Difficulus n. patitur sibi bolum aliquem eripere Satanas. LX. Sæpius autem inculcetur *discrimen*, *Sola fide nos justificari; opera verò bona esse tantummodò fructus veræ fidei, indicia veræ fidei.**

LXI. Adjiciatur & inculcetur illud Jacobi 2, 18: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis; Urgeatur illud pientissimi Johannis Husi celebratissimum: Ego nisi opera videro extra, non credam fidem esse intra.*

Husi.

LXII. Inculcetur eis vaticinium Lutheri, quod extat romo primo Jenensi his verbis: *Nostri cum à legibus Papa liberi sint, volunt etiam à lege Dei liberi esse, nihil nisi Politica sequi, sed sic, ut sub illis quoq; pro libito sint.* Et paulò post: *Ex ijs sunt, qui diem hominis desiderantes, ut in luce hominum gloriantur & exultent, nobis caperunt Decalogum quoque ex Ecclesia deturbare, ut juxta Petri Prophetiam, secundum proprias conscientias ambulent & securi sine timore Dei agant.* Et paulò post iterum: *A nostris (scilicet quales jam descripsit) mihi est plus negotij, & periculi, quàm ab ipso toto Papatu, qui posthac nihil poterit contra nos.* Hæc omnia Lutherus. *In fine primi tomi.*

LXIII. Boni ministri sequantur judicium optimi Hieronymi VVellerii. VVellerii in Epistola nuncupatoria ad Albertum Ducem Mechelburgensem: *Malim concionatores propè plus opera in admonendis ac reprehendendis securis, quàm in consolandis afflictis sumere. Semper enim major pars auditorum sunt homines securi & profani; illorum verò, qui sensu peccati & iræ Dei ac terroribus inferni & mortis vexantur, exiguus est cætus: Quin etiam velim, ut non modò omnia peccata contra legem Dei severe taxent; verùm etiam in omnes hereticos fanaticos, & impios Doctores acerrimè invehantur.* Hæc ille. Et vult in seqq. paragraphis illud in singulis concionibus fieri.

LXIV. Non debet Concionator privata sua suorumq; negotia acerbe:

acerbè in conciones importare, multò minùs Magistratum odio-
sè perstringere, sed omnia competente loco vitia ex Verbo Dei,
primùm modesta gravitate taxare, monstratis præsertim pœ-
nis corporalibus, ut suprâ innuimus, & spiritualibus seu æter-
nis.

LXV. Omninò verè nobiles & generosi viri, animadversa vo-
luntate Dei, & animadversis pœnis spontè & libenter facient of-
ficium, aliosq; ad idem faciendum compellent, ut vel in hac vita
benedictionem propria obedientia in millesimam usque genera-
tionem sperare & consequi possint.

LXVI. Et sic satis respondimus ad Pontificiorum accusatio-
nes, quoad opera bona, quæ fieri debent propter voluntatem Dei,
secundùm legem moralem Dei; non verò ideò fieri debent, quasi
illis justitiam coram Deo valentem & æternam salutem mereri
possimus.

LXVII. Et hic articulus practicus in Ecclesijs Lutheranis ho-
die diligentissimè debet tractari, & tam accuratè atq; ullus ali-
us. Postulat enim horum morum iniqua ratio & corrupti se-
culi suscipienda restauratio, & publicarum calamitatum moles,
nihil magis quàm illum ipsum vel in singulis concionibus appri-
mè ita tractari, ut jam breviter innuimus.

s. *Quæ sint opera illa, de quibus quiritantur Pon-
tificij, quòd nostri prohibeant bona opera.*

LXVIII. Ad secundum genus operum, Augustana Confessio nu-
merat serias certas, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus
sanctorum, rosaria, monachatus & his similia. Huc autem referendæ
etiam sunt indulgentiæ Papales, Canon Missæ, Missa privata,
Communio sub una specie, cuculli Monachorum, discrimen
ciborum, jurisdictio Episcoporum, aqua lustralis, usus cereo-
rum, exorcismi, exufflationes catechumenorum & energume-
norum, opera supererogationis, & quæ propè infinita sunt
alia.

Pontificij ur-
gent opera LXIX. De hoc secundo genere operum duo respondemus; i. Talia bona
opera, ut à Pontificijs urgentur, nobis à Deo non esse præcepta,
immo

immò jamdudum irrefutabilibus argumentis docuere nostri, illa non mandata
cum omni verbo Dei, & cum scriptis purioris antiquitatis *δὲς Διὰ τὸν Θεὸν* sed con-
πασῶν pugnare, esse meras *ἑθελοθηρησίας*, quibus affingitur *διὰ τὸν Πάπῃ*.
efficacia & promissio extra & contra omne Verbum Dei.

LXX. Hæc igitur opera nostri suis hominibus maximoperè
prohibuerunt & omninò prohibere debuerunt, idq; propter man-
data Dei: *Fugite ex Babylone. Frustra colunt me mandatis hominum,*
Plus obediendum est Deo, quàm hominibus. Cavete à fermento Phariseorum.
Vix enim dici potest, quantoperè his suis fictitijs operibus de-
mentârint & deceperint mundum.

LXXI. Apud *Zvingerum* in theatro vol. 27. l. 3. *Fulco Andega-*
vensis Comes satisfactorius pro peccato quodam indutus malefici da- *Fulco miser.*
mnati vestitu *cum duobus comitibus* ad sepulcrum Domini conten-
dit, ita ut eorum alteri se collo resti illaqueandum & trahendum
traderet; alteri virgas præberet, quibus se tergo cæsum lacerumq;
eodem ageret, vociferantem: *Admitte Domine miserum Falconem,*
perjurum & fugitivum tuum.

LXXII. *Sigfridus Moguntinus, Guntherus Bambergensis, Otho Ra-*
tisbonensis, Guilielmus Trajectensis, Episcopi, & alij Proceres Gallici,
cum septem millibus hominum stipati abierunt precandi gratia
Hierosolymam, *apud eundem ibidem.*

LXXIII. *Lutherus* anno ætatis 14. Anno Christi 1498. ipse vi- *Princeps qui-*
dit *Magdeburgi Principem quendam Anhaltinum, fratrem Adolphi* *dam Anhal-*
Præpositi Merseburgensis indutum cucullo monastico gerere *tinus portat*
saccum, quo colligebant panem mendicantes Monachi, tom. 6. *corbem quum*
Germ. Jenens. f. 9. & 20. *mendicantes*

LXXIV. *Quo in loco simul perpendendum venit, quòd Pontificij suas colligunt pa-*
traditiones, & inde fluentia opera anteposuerint operibus à Deo manda-
tis. *nem.*

LXXV. Bona utique & divinitus præcepta opera sunt, sanctè
gerere Magistratum, piè ducere uxorem & educare sobolem. Ipsi
verò Magistratus compingere in monasteria non erubuerunt.

LXXVI. Legatur *Keifersbergius* de ramis humanæ arboris,
ubi historiam habet de *S. Mechtilte* filia Regis Scotiæ, & tribus
ejusdem fratribus, quorum, ex Institutione Pontificiorum pro
salute rectius impetranda, *primus* deserta conjugè ivit in
exilium.

exilium, secundus factus est eremita, tertius didicit mulgere vac-
cas, & post hanc artem comprehensam, locat perpetuam suam
operam monasterio cuidam.

LXXVI. Sed quis saltem summa capita fraudum ejusmodi
vestrarum compilare posset, quibus inescâstis superioris &
inferioris ordinis homines innumeros.

a. Pontificij
sua opera, quae
vehementer
urgent, quan-
doq; vendunt
& remittunt.

LXXVII. Deinde de his (*bonis quasi*) operibus respondemus &
illud, quod horum operum observationem saepenumero pro pe-
cunia numerata alijs remisistis, unde in immensum creverunt o-
pes Pontificis Romani; Prohibitos in jure Canonico gradus ma-
trimoniales pro pecuniâ facitis legitimos & concessos, quorum
exempla vidit nostra ætas. Vestras nundinationes indulgentiales
quid plurimis attingere attinet?

LXXVIII. Agimus potius æterno patri Domini nostri Jesu
Christi gratias immensas, neque agere desistemus, quod nos cle-
menter opera *divi Lutheri* ex ista plusquam Babylonica captivita-
te liberavit, eumq; votis honoramus supplicibus, ut vobis quo-
que oculos aperiat, vosq; simul hortamur, ne veritati illucescena-
ti oculos diutiùs claudere pergatis. Atque ita responsionem repe-
ritam ad articulum 20. Augustanæ Confessionis breviter dare vo-
lumus.

F I N I S.



00 A 6341

ULB Halle
002 919 516


3



W 02

Rehro ✓







32

Συὶ Θεῶ

DISPUTATIO X.

De

BONIS OPERIBUS.

PRO

ANGUSTANÆ CONFSSIONIS

ARTICULO XX.

Adversus Pontificios, & hodiernos Photinianos.

Quæ

In Collegio disputationum Theolo-

gicarum SECUNDO,

Ad diem 7. Julij. A. C. 1610. VVitteber-

ga in templo Arcis habebitur,

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO,

Theol. D. & Profess. Publ.

RESPONDENTE

LAURENTIO Bensen Strandinsu-

lano Holsato.

VVITTEBERGAE,

E Typographeo JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. X.